



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,  
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

**Fumo, Bartolomeo**

**Antverpiae, 1570**

Clericvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30427**

Si curationem sufficiat.

## CLERICVS

**1** CLERICVS nullus dicitur, nisi habeat aliquem ordinem, saltem primam tonsuram. c. cum contingat. de pta. & qual. or. 1. licet quandiu est in minoribus, possit clericatum dimittere.

**2** CLERICORVM nomine, in materia fauorabili, intelliguntur omnes in aliqua clericali dignitate positi, sed in materia odiosa, nomine clerici non veniunt Episcopi, canonici, nec alij in dignitate constituti, nec monachi, nec religiosi exempti. Facit ca. quam periculosum. de sent. excom. l. 6. & Pan. in c. bonae memoriae. el. 1. de postulatione praela. Neq; clerici coniugati veniunt appellatione laicorum, in materia odiosa, vt infert Ioan. And. in ca. Ioannes. de clericis coniu. Ideo si Episcopus excommunicat. laicos. clerici coniugati non includuntur.

**3** APPELLATIONE populi in materia stricta, non veniunt clerici. Pan. in c. 1. de vit. & ho. cler. secus in materia fauorabili, vt si populo conceditur privilegium, includuntur etiam clerici. facit c. dilecti de for. compet. Et not. Bar. in l. j. ff. ad municip.

**4** APPELLATIONE clericorum non veniunt monachi, nec appellatione ecclesiarum, veniunt monasteria in stricta significatione, secus in larga. argu. in gloss. c. 3. de sup. neg. pre. Si dispensat Papa cum illegitimo, vt possit effici clericus, non propter hoc poterit promoueri ad sacros ordines, quia est in materia odiosa, ideo solum ad minores promoueri poterit. Pan. in c. si quis qua. de cohab. cler. secundum Tho. supra. & mulie.

**5** AD ordines accedens cum scientia peccati mortalis, licet recipiat ordinem, mortaliter tamen peccat. secundum Tho. 4. sen. d. 24. q. 1. a. vlti. quol. 1. sufficit tamen contritio. Et promouens talem indignum, ratione mortalis peccati scienter, mortaliter peccat, quol. 4.

**6** NON baptizatus, non potest recipere characterem ordinis, licet bene is

qui est sine confirmatione, sed confirmatio de congruitate requiritur. Th. vbi supra.

**7** IN clerico ordinando tanta scientia requiritur, qua possit dirigi in actu illius ordinis, quem vult suscipere, & quilibet debet scire ea, ad quae officium suum se extendit. Tho. supra. a. 3. q. 2. maior tamen scientia requiritur in his, quibus cura animarum committitur, secundum eundem ibidem. & Pa. post Inno. in cap. cum in cunctis. de elect. Vnde Papa maiorem ceteris scientiam debet habere. Episcopi debent habere notitiam Noui, & Veteris Testamenti, de quo est bonus tex. in cap. quia Episcopus. d. 23. & 62. d. c. 1. & 2. debent habere scientiam iuris Canonici, quia secundum illud habet iudicare praecipue in causis matrimonialibus, de consang. & aff. ca. 1. & sic dic in alijs successiue, secundum eorum officia; vnde patet quod ignorantibus non debent ordinari. in capit. fin. de temp. ordi. Et quia secundum Tho. 4. sen. d. 24. q. 1. a. vlti. qui promouet indignum mortaliter peccat, & talis ignorans est indignus, per ca. non est putanda. 1. q. 1. ergo talem promouens videtur peccare mortaliter, & religiosus ignorans, non tenetur obedire praelato praecipienti, quod vadat ad ordines sacros, imò mortaliter peccaret eundo, & ille praecipiendo, maxime quando de ignorantia constat. Si vero est dubium, obedientia subditum excusabit, non autem exponentem se, vel promouentem. infra. Confessor. §. 2.

**8** CLERICVS quomodo debeat bona temporalia dispensare, supra, ver. Beneficium, §. 68. 41. & 23. dist. per totum.

**9** CLERICVS praelatis, debita propria, de bonis, quae habet in sua potestate potest soluere, non autem de fructibus, quos non habet in sua bailia, quia alteri successorum praerudicium fieret contra iustitiam.

**10** CLERICI ad multa tenentur ex iuribus, quae vix possunt explicari, tenentur non nutrire comam, vel barbam.

ham. ca. si quis. de vi. & ho. cle. & portare tonsuram. ind. ca. si quis. Eis duo colores interduntur, videlicet rubeus, & viridis. in ca. clerici. eod. titu. Debent deferre habitum clericalem clausum desuper, non nimis breuem, vel longum, absque pallio diffibulato: Caligæ scacatæ, vestis vergata, vel partita, manicæ, sotulariaque consutia, epitogium, insula linea, fibulæ, corrigiæ aureæ, vel argentæ, annuli, nisi quibus ex dignitate conuenit, frena, sellæ, pectoralia, calcariæque aurea, eis prohibentur. in cle. 2. de vit. & hon. Quò ad officia, multa sunt eis prohibita, vt ars macellarij, tabernarij, hystrionis, goliardi, buffoni, chirurgici. Prohibetur etiam ne sint præpositi baliarij, ne sint ministri sub domino temporali, notarij, aduocati, procuratores in placitis secularibus, nisi in quibusdam casibus, quòd non portet arma, nõ vadant ad tabernam, nisi itinerando: ad venationem, accipitres, & canes pro venatione non habeant: non conducant agros à secularibus. Ad aleas, vel taxillos non ludant, nec his ludis adsistant. Mercantias nõ exerceant. Non habitent cum mulieribus, nisi cum matre, sorore, & amita. Mandatur vt mensam benedicant, & gratias referant in fine, lectione semper intermedia. & quòd sibi vinum temperent. infra, Ludus. §. 4.

11 A n̄ horum transgressio quando non adest temeritas, contumacia, vel contemptus, sit peccatum mortale, quantum ex præcepto iuris positiuu pendet, secundum Caiet. in ver. clericus. non inducit peccatum mortale, quia inuis aliqua præcipiantur sub pena excommunicationis. Non enim videtur clericus magis obligari ad habitum suum, quam religiosus ad habitum suæ religionis, sed religiosus nõ atretur, nisi ex temeritate dimittat habitum, ergo nec clericus. Et infert Caiet. quòd præcepta legis naturalis, diuinæ, vel humanæ, non obligant ad peccatum mortale, nisi ea, quorum transgressio est contra charitatem, etiam si apponantur pœnæ graues, gra-

uiiores, & grauissimæ, nisi sit pœna excommunicationis latæ sententiæ: si tales sunt, vt sine peccato mortali incurri possunt, exigunt enim monitione vt non nisi in contumacem ferantur. Possunt tamen in huiusmodi multa interuenire peccata mortalia, vt si in horum transgressione admisceatur consumptio bonorum ecclesiasticorum, superbia, auaritia, scandalum, & similia. Alij autem dicunt in dict. cap. clericus. loqui tantum de consilio, ita quòd horum transgressio non est mortalis, vt dicit Innocen. Alij autem, vt Petrus de pal. & Pa. dicunt, quòd in aliquibus loquitur præceptiuè, in aliquibus verò non, vt accidit in regula religiosorum. & dicit Pa. ibi, quòd constitutio concilij generalis, non semper ligat transgressorem ad mortale, sicut nec lex ciuiliis semper ad mortem inducit transgressores. Videtur clericus mortaliter peccare circa habitum, si non portat tonsuram, secundum Panormita. in dicto ca. si quis. de vir. & hon. intellige si excessus sit notabilis vltra consuetum, & sit in sacris, vel be neficiatus. Ad hoc facit cap. Ioannes de cleric. coniu. Secundò, si portat tabarum, secundum Stephanum allegat. tem capitu. si quis omnem. 1. quæst. 7. & 18. d. §. 1. Intellige si publicè portat, & sine rationabili causa. Tertio vtendo viridibus, vel rubeis vestibus, secundum Panormita. in dicto cap. clericus officia contra Innocen. Et idem videtur esse de veste lingulata, & quæcunque alia notabiliter irreligiosa, vel scandalosa, vel pretiosa nimis, nisi habeat ad conformandum se illis cum quibus viuit ar. in c. episcopi. d. 80. ne scilicet vilescat. Quarto, in nutriendo barbam, nisi ex rationabili causa, secundum gloss. Si sit in sacris, vel be neficiatus, quia potest excommunicari, quia igitur sunt opinionones diuersæ, iudicare de mortali est periculosum.

12 CLERICI omnes tenentur ad castitatem quando sunt in sacris, ita quòd non possunt contrahere matrimonium, de voto. in. 6. ca. vnico. Si ta

mē sunt Græci, possunt uti matrimonio prius cum virgine contracto, ex quo elicitur, quod castitas in clericis, est de iure positio. Peccant ergo mortaliter contrahendo, nisi sint in minoribus, & prælati supportantes clericos incontinentes, grauitur peccant, & eadem poena debent puniri, si propter lucrum, vel commodum temporale hoc faciant. Secus quando faciunt ad peiora euitanda, secundum Panor. in ca. vt clericorum. de vit. & ho. cle. Et dicit Panor. ibi, quod antiquitus pro fornicatione, clericus deponeretur, in ca. a multis. de ætat. & quali. hodie verò suspenditur. vt in d. ca. vt clericorum & si sic suspensus celebrat, priuatur beneficijs, & perpetuo deponitur, secundum Pa. sed propter adulterium debet deponi. cap. cum non ab homine. de iudic. Idem dicit de peccato contra naturam. capitul. clerici. de excess. prela. Et concubinarijs potest priuari beneficio. capit. ex parte. de testib. Similiter de incestu, & stupro. Intelligit hanc suspensionem. quando facta est ab homine.

<sup>13</sup> CLERICVS publicus concubinarijs, & notorius, vel per sententiam, vel per propriam confessionem factam in iudicio, sine dubio est suspensus, etiam quo ad alios, & efficitur irregularis si celebrat, & non est licitum audire diuina a tali: & contra facientes veniunt contra præceptum ecclesie. Si verò sit notorius notorietate facti, quia tenet concubinam in domo, habet filios & non potest aliquo modo se excusare, vt dicendo quod est ancilla, & huiusmodi non tamen est condemnatus, nec confessus in iudicio, an talis sit euitandus? quidam dicunt quod sic, etiam non præmissa monitione. vt in capit. sicut. de coha. & mu. cle. & in cap. si celebrat de cle. excom. mi. Hæc sequitur Hostien. & Ioan. Ande. in c. vestra. de coha. cleric. & mu. Alij autem dicunt monitionem debere necessario præcedere, vt Vgo. Arc. in ca. nullus, & cap. si quis. dist. 80. Ioan. de Lig. & d. Card. in dict. capitul. vestra. Itaque potest dici secundum istos, quod

audientes diuina ab his ante monitionem non peccant. Panor. verò in dicto cap. vestra. dicit quod quando fornicatio est ita notoria, quod nullam dubitationem habet, non requiritur alia monitio: & hoc probat text. cap. vestra. & gloss. ibi, ver. ex euidencia. Et hoc videtur tenere Th. 4. senten. dist. 13. vt supra, q. 1. ar. vlt. ql. fi. Et dicit Panor. hanc esse iuris intentionem. Secus autem est quando potest aliqua tergiversatione celari. Credo tamē rusticos, qui ius posituum ignorant, in hoc excusari audientes ab huiusmodi. Secus quando scirent ius. In alijs autem peccatis, etiam notorijs, non est sic, licet tales quo ad se sint suspensi, quia grauitur peccant celebrando diuina in mortali, non autem alij audiendo, secundum Panor. in d. c. vestra. infra, concubinatus. §. vlt. Irregularitas. §. 74.

<sup>14</sup> CLERICI simoniaci, scismatici, & excommunicati, ex statuto ecclesie à dispensatione huius sacramenti sunt suspensi, quia sunt extra unitatem ecclesie, & ab istis suscipiens sacramenta peccat, nec debet cum his quis communicare in diuinis, quantumcumque sint occulti, ab alijs peccatoribus, præter fornicarios prædictos, possunt sacramenta necessitatis recipi, non tamē inducendi sunt ad celebrandum, vel sacramenta ministranda, nisi in necessitatis articulo. Multa tamen sunt ordinata circa huiusmodi in consilio Constantiensi. Vide infra, Interdictum. §. 16. Excommunicatio. §. 30. Absolutio. §. 30.

<sup>15</sup> NON credo clericum mortaliter peccare habitando cum mulieribus, contra ca. 1. & secun. de cohabi. clerici. & mulic. quia illi canones non sunt præceptiui, peccare tamen mortaliter ratione scandali, & si ex hoc exponeret se scienter peccato mortali, vel contumaciter, aut contemptibiliter hæc faceret. Quomodo clericus tenetur ad officium, infra, Horæ. per totum. Quomodo debeat residere, si præ, Beneficium. §. 40. infra. Residentia. §. 2.

<sup>16</sup> CLERICVS negotiator propriè, & religiosus, secundū Pet. de Pe. & ca. 2. ne cle. vel mo. mortaliter peccat, quia debent excommunicari, non autem secundum Caiet. vt supra dictū est. Si autem sit in minoribus, nō peccat mortaliter negociando, secundum Pan. in capitu. si. de vita & ho. cle. Et si faciant contra alia prohibita, secundū Caiet. non videntur mortaliter agere, vt diximus.

<sup>17</sup> CLERICVS in mortali exercens officium exhibendo se ministrum ecclesie, mortaliter peccat, secundum Tho. 4. sen. d. 5. q. 2. a. 2. & d. 24. q. 1. 3. parte. quæst. 64. a. 6. secundum verò alios, etiam tangendo res sacras, quasi fungens officio suo mortaliter, agit, secus si facit vt laicus, vt cantando epistolam sine manipulo. infra, suspensio §. 2.

<sup>18</sup> CLERICVS potest habere de proprio, secundū Tho. secunda secundæ. q. 185. a. 6. quia nō habet votum paupertatis vt religiosi. Probatur etiam in capitu. episcopi. 12. quæst. 1. potest etiam testari, & donare bona laicalia, quæ sunt acquisita intuitu personæ, vel per donationem, vel successionem, vel industriam. de testa. ca. ad hoc. & capitu. quia nos. de rebus autem ecclesiasticis mobilibus, vel immobilibus non potest testari. potest tamen de fructibus perceptis, & mobilibus, in ægitudine constitutus, dummodo sit mentis compos, cōferre pauperibus, & locis religiosis, & sibi honestè seruientibus. vt in cap. ad hoc. de test. capitu. relatum. cl. 2. quod etiam dum est sanus facere potest, vt in cap. cæterum. de dona. & consanguineis indigentibus, vel sibi honestè seruientibus. in d. cap. relatum. In aliquibus locis clerici testantur de mobilibus, & de fructibus ecclesie acquisitis, sed de iure est contrarium, vt in d. c. & iuribus. non tamen de vasis sacris, vel alijs deputatis ad Dei cultum. Et dicuntur bona ecclesie omnia, quæ intuitu ecclesie, vel de facultatibus ecclesie, acquisita sunt. vt in c. 1. de testa. Et glo. in c. præfenti. de of.

fic. ord. l. 6. post Host. tenet, quod clerici non habentes administrationem possunt disponere, & testari de fructibus perceptis vsque ad diem mortis, de consuetudine, & etiam de percipiendis anno sequenti, si consuetudo esset, vt refert Panor. in c. cum in officijs. de testa. Ipse tamen in d. c. relatum. tenet contrarium de canonicis, de his scilicet quæ veniunt ratione beneficij, & nō ratione personæ. Vin. tamen in d. c. ad hæc. dicit, quod consuetudo non excusat clericos, quod omnia bona mobilia acquisita intuitu ecclesie dimittunt in morte suis consanguineis. Que autem acquirit clericus ex confessionibus, vel missis, vt parochianus est, ad ecclesiam pertinent, nec de his potest disponere, secundum Pan. in d. c. cū in officijs. & Innoc. c. inter. de verb. signi.

<sup>19</sup> PRÆLATVS inducens simplici verbo, & blando sermone testatorem ad relinquendum sibi quæ ecclesie reliquisset, cessante dolo non tenetur restituere, secundum Cyn. ar. in l. fina. ff. si quis ali. te. & Pan. in capitu. 2. de pecu. cle. & hoc tene, secus si dolose fecisset.

<sup>20</sup> CLERICVS qui rem ecclesie indultia sua meliorauit, de tali melioratione non potest disponere. Facit. c. inquirēdū. de pec. cle. & ratio est, quia ad hoc tenebatur, secus quādo de proprio patrimonio. vel de suo, meliorasset.

<sup>21</sup> QUANDO aliquid relinquitur clerico habenti administrationem, præsumitur quod relinquatur intuitu ecclesie, aliter non. Tamen recurrendū est ad coniecturas, vt in c. requisisti. de test. Et quando clericus non habet hæredes, qui de iure debeant succedere, ecclesia succedit ab intestato. 12. quæst. 5. ca. fina. Et si habet plures ecclesias, fiet diuisio per illas. Vide Pan. in d. c. relatum qui dicit, quod acquisitum per canonicum intuitu ecclesie seu præbendæ, non cedit successorī in præbendā, sed capitulo ipsius ecclesie.

<sup>22</sup> QUA bona superflua clericorum sunt pauperum, ideo clericus de bonis ecclesie potest alere parentes, do-

tare

care forores vel filias, secundum Pan. in cap. peruenit. de arbit. intellige tamen quando egent.

<sup>23</sup> CLERICVS habens patrimoniu, potest illud seruare parentibus, & ipse viuere de bonis ecclesie, cui seruit, du modo honeste uiuat, & hæc communior via est, secundum Inno. in capi. Episcopus de præben. & Panor. in d. cap. & Hosti. ibi. Nec obstat dictum ca. ult. 16. q. 1. quia secundum Veruet. hoc intelligitur in extrema necessitate pauperum.

<sup>24</sup> CLERICVS omnia superflua tenetur erogare pauperibus sub peccato mortali nisi fabrica egeat, vel nisi velit cultu Dei in ecclesia ampliare, nulla etiam extrema necessitate currente. argu. eorum quæ not. in cap. dudum. el. 2. de elect. & in cap. cum secundum. de præben. vide Thom. secunda secundæ. q. 185.

<sup>25</sup> CLERICVS cõuertens bona ecclesie in vsus inhonestos, ut in histriones, meretrices, & in ditado parentes nõ pauperes, secundum Veruet. est raptor, & consequenter mortaliter agit, & restituere tenetur ecclesie, secundum Panormita. in d. capitu. cum secundum. si habet de patrimonio, vel aliunde. De altari enim viuere debet & non luxuriari. Vide Archidi. flor. in 2. par. tit. 2. c. 5. fi.

<sup>26</sup> ACCIPIENTES ab huiusmodi clericis turpiter ut meretrices, histriones. & alij, non causa elemosinæ in summa necessitate, secundum Ray. & Hosti. tenentur restituere. 86. d. c. pasc. Similiter qui acceperunt per fraudes, & minas, &c. Secus quando propter aliam honestam causam acceperunt, Et tenentur restituere ei qui turpiter non dedit, sed timore, vel huiusmodi. Sed si turpiter dedit, restituent ecclesie, cui ablatum est, secundum Host. vel dabitur pauperibus illius loci, si vi debitor expedire, secundum glo Ray.

<sup>27</sup> CLERICVS dimittens officium sine causa rationabili, secundum Ioan. Cald. in cap. 1. de celebra. missar. tenetur restituere fructus intetum perceptos, quia iste effectualiter non resi-

der, & non residens priuatur beneficio, & fructibus. capit. penul. de clerico non resid. sed Panor. in d. cap. 1. hanc opinionem nimis rigidam esse dicit, ideo opinio Panor. quod non tenetur restituere, est verior, & magis dictis Sanct. Thom. conformis, qui in quest. 6. dicit, quod subditi tenentur decimas soluere etiam clerico diuiti, ut in ca. tua nobis. de deci. Ita tenent Innoc. Ioan. Andr. But. in capit. 1. de celebr. miss. Pet. de Pal. Arch. Zaba. Ioan. de Lig. & multi alij. & hoc tene. supra, Beneficium. §. 69.

<sup>28</sup> CLERICVS excommunicatus, quando dormit in excommunicatione & est in mora petendæ absolutionis, non debet habere fructus beneficij, sed sunt alteri assignandi, qui pro eo celebret, ut dicit Bern. & in c. peruenit. de appell. neque recuperabit sibi sublatos, si fuit iuste excommunicatus, secus si iniuste, ut in c. super causas. 2. q. 5. non enim debet habere beneficium, qui non facit seruitium. de appell. c. pastoralis. Si tamen talis non haberet unde uiueret, prouidendum esset ei de bonis ecclesie, quia etiam depositis prouidetur. d. 50. c. studear. ne in opprobrium clericatus mendicare cogatur.

<sup>29</sup> PRIVILEGIA clericorũ sunt hæc, ut recitat Card. in cle. 1. de vita & honesta. cleri. Primum non cõueniuntur coram iudice seculari. de fo. compet. cap. si diligenti. Secundum quod verberans eos, est excommunicatus. c. si quis. 17. q. 4. Tertium, quod non tenentur præstare onera personalia, vel realia. de immu. eccle. ca. non minus. Quartum, quod possunt vendicare rem concessam ecclesie ante traditionem. c. ex literis. de consu. Quintum, gaudent eodem privilegio sicut eorum familia. 2. q. 1. c. clericum. cl. 1. intellige quoad forum, ut dicit glos. in c. eos. 23. d. Sextum, quod facientes statuta contra eos, sunt excommunicati. c. eos qui. de immu. eccle. lib. 6. Septimum, quod soli clerici possunt obtinere beneficium ecclesiasticum. c. ex literis. de transf. supra beneficium

scium. §. 18. Octauum, quod per literas contra laicum impetratas cum generali clausula, non potest conueniri, vt glo. in c. sedes. de rescrip. Nonum, quod non tenentur dare sportulas. c. cum ab omni. de vi. & hone. cleri. Decimum, quod acquisita etiam sub potestate patris, ad libitum disponunt. auth. presbyteros. C. de episco. & cle. Undecimum, quod pro rebus suis recuperandis agere possunt, sine patris consensu, secundum Arc. in c. fi. de iudic. in 6. Duodecimum, quod pro necessitate non possunt distrahi à patre. C. de patrib. qui fil. di. lib. 12. Decimūtertium, quod seruus ordinatus à domino sciente, & non contradicente, liberatur à dominica seruitute. c. si seruus. 54. d. Decimumquartum, quod possunt facere collegium. ar. in c. fi. de re. do. Decimumquintum, quod gaudent priuilegijs militum, quæ non sunt contra statutum clericale. Pa. in c. episcopus. de pa.

3<sup>o</sup> CLERICVS qui cum virgine contraxit deferens toturam, & vestes clericales. gaudet tantum duobus priuilegijs. c. vno. de cle. con. in 6. potest etiam vti statutis, & consuetudinibus laicorum ad suum commodum, secundum Pa. in ca. fi. de vit. & hon. cle. quæ tamen eos non ligat in eorum præiudicium.

3<sup>is</sup> clericus propter bona ecclesiastica est obnoxius restitutioni, restitui et de bonis laicalibus si habet, vel habere potest, vel parcius consumendo ea ecclesiastica bona, quæ licite consumere poterat.

## COACTIO.

3<sup>o</sup> COACTIO, violentia, vis, metus & timor, secundum quod sunt in humanis, minuunt de voluntario. adeo vt coactio, & violentia absoluta, & simpliciter non possunt esse peccatum, quia in voluntarium omnino causant, & peccatum semper voluntarium est: secundum Tho. prima secundæ. q. 61. a. 5. vnde mulier violententer corrupta non peccat. Violentia autem non simpliciter, sed secundum quid quæ dicitur metus, quia non est sine volu-

tario, non excusat totaliter à peccato, in his, quæ secundum se sunt peccata. c. in sacris. de spons. Quid autem sit motus cadens in constantem virum, & quomodo impediatur matrimonium, infra impedimentum. §. 41. quomodo baptizati coactè, non sunt baptizati, supra, Baptismus. §. 70. & eodem modo dic de ordinatis.

2<sup>o</sup> METVS cadens in constantem virum non causatur ex supplicatione regis, vel domini, secundum Pan. in ca. fi. qui cleri. vel vouent. Nisi sit solitus tyrannizare, & malè tractare, non obtemperantes suis precibus, vt dicit lo. And. in d. c. fi. Nec sola mariti reuerentia, nisi minæ præcesserint, causat talem metum, secundum Bart. in l. ad iudicem. C. quod met. caus. & Innoc. in cap. causam matrimonij. de offic. de legat.

3<sup>o</sup> METVS perdendi bona temporalia, vel grauem iacturam in eis, vt maiorem partem, quando sine illis quis non potest sustentari, est iustus metus, secundum Panor. in cap. Abbas. eod. titu.

4<sup>o</sup> CONTRACTVS factus ex iusto metu, quando in eo requiritur libera voluntas, non tenet, secundum Pa. in ca. cum locum. de spons. & cap. olim inter. eod. titu. In alijs autem vbi non requiritur liber consensus, non est ipso iure nullus, sed venit rescindendus, actione quod metus causa, vel officio iudicis.

5<sup>o</sup> AGENS certum quid metu, & sequenti tempore tacens, ex taciturnitate non præsumitur consentire, secundum glossam in c. accedens. de conuer. coniug. nisi interueniat aliquis actus positius approbatiuus primi actus: Facit c. ad id. de spons.

6<sup>o</sup> METVS leuis, vel tantum probabilis non excusat, nec rescindit, vel annullat, vt not. Pan. in cap. veniens. de sponsal. cl. 2. tamen quod ad conscientiam considerandæ essent circumstantiæ rerum, & contractus. Seruiens Deo metu peccatum tantum, non meretur beatitudinem, quia non adest charitas.